



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ad Rationem VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

manam nulla ratione lædit, neque in se neque exemplo; multo minus lædit Ecclesiam vel Rempubl. sed eam unice jam conservat, quum alia media salutis nulla amplius suppetant. In Pace itaque nihil est peccati, à parte equeidem Catholicorum; tantum abest, illam mendacio pejorem esse.

Ut hoc probet Auctor, se vult videri adferre rationes: & tamen nihil adfert novi, sed breviter repetit quæ hæctenus attulerat, quasi illa sint demonstrata. Quum vero illa à nobis satis confutata sint, frustra hic egerimus actum. Obiter advertere est, quanta illi scriptori argumentorum sit inopia. Sæpius unum idemque repetit, tantum oculis quibusdam mutatis, ut imperitis sese jactitet, & in summa rationum egestate videatur dives.

RESPONSIO AD RATIONEM
IIX.

Pacem ejusmodi S. S. Patrum, Pontificum, & religiosissimorum Principum, suffragio non destitui, vel damnari.

AD §. I.

Antiquorum Patrum consensus demonstratur.

Sacrosanctæ Ecclesiæ Patres Pace ejusmodi non solum nunquam usos, sed etiam oblatam expeditamque damnasse, quod dicit Ernestus per-

negamus; imo nihil eorum, quæ hac Pace continentur, unquam ab iis esse damnatum, asserimus. I. S. AMBROSIIUS negavit Valentiniano Imperatori sacram Catholicorum ædem, in usum Arianorum, nulla id urgente Catholicæ Ecclesiæ salute, sed in merum ejus detrimentum, imo suppetentibus abunde auxiliis Catholicæ Fidei contra Arianos, neque ex propria, aut Theodosii & Gratiani coimperatorum, sed sola Justinæ matris sententiâ, petenti. Qua de re omni legi merentur quæ notavit Baronius ad annum 387. Exemplum itaque ad rem nostram nihil facit: utpote quum nos versemur in questione, num liceat ædem sacram Hæreticis tradere, si id summa postulet Ecclesiæ & Reipublicæ necessitas, inque defectu auxiliorum Fidem Catholicam defendentium: aut potius, num per vim ab Hæreticis occupatam ædem liceat illis relinquere, si impossibile sit eam recuperare, & parimmineat periculum aliis. Verba illa S. Ambrosii: *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea qua divina sunt Imperiale aliquod jus habere*, perperam (ne quid gravius dicam) ita accipiuntur, quasi bona Deo dicata juri Imperatorio esse subdita, simpliciter S. Pater ille negaverit. Sunt nimirum intelligenda, ut vulgo loquimur, de subjecta materia; hoc est, de absoluto, illimitato, & mere arbitrario illo jure Imperiali, quod aulici nonnulli adultores crudo

do sensu tunc allegaverant: nempe *Imperatori licere omnia, ipsius esse universa*, eòque pro arbitratu licere Imperatori ædes sacras Catholicis eripere & dare Arianis. Hanc esse mentem S. Ambrosii apparet ex ipsis illius verbis quæ habentur epistola 33. ad Marcellinam: *Mandatur denique, trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas esse auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, noli te gravare Imperator.* Agnovit itaq; Ambrosius, in basilicam nullum arbitrarium & absolutum Cæsarij esse, perinde atq; nec in domum privatam: de eo, quid liceat exigente necessitate, sermo non fuit. Ejusdem porro Ambrosii de bonis Eccles. hæc verba sunt: *Oratione adversus Auxentiū: Agros Ecclesie, si vult Imperator, tollat; potestatem enim habet vindicandorum.* Idem Ep. 31. ait: *Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet: hos redditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesie sumtus est egenorum.* Sciscitabor ego exemplo nostri disputatoris: Si Imperator potestatem habuit vindicandorum Ecclesie agrorum tempore Ambrosii, quo postea anno vel ipse hoc jure cessit, vel ab aliis id eripi, sibi passus est?

II. Quum Gaina templum Arianis peteret intra mœnia Constantinopolis, Arcadium Imperatorem
tunc

tunc fuisse *in extrema Imperii imo & religionis necessitate*, narrat Auctor, contra fidem historiæ illius quam nobis descriptam reliquit Sozomenus *l. 8. c. 4.* utpote qui disertè scribat, factum hoc post rebellionem, cumq; reconciliat⁹ Cæsari Gaina viveret Constantinopoli. Eodem autem modo rem hanc narrat etiam Baronius tomo V Annal. ad annum 400 n. 41. Itaque nec illa S. Chrystomi oratio ad hoc necessitatis negotium nostrum pertinet, sed exemplum dissimillimum. Tum vero non refert Sozomenus, illa verba quæ Eusebius adducit, à S. CHRYSOSTOMO dicta esse de ipsa traditione templi; sed notavit illa historicus ex sermone quodam Chrystomi tanquam singulari observatione aliàs digna. Verba historici sunt: *Deinde conversa ad Imperatorem oratione, eum hortabatur: ut NB. latam adversus ceteras hæreses legem ratam haberet; simulque consulebat, satius esse Imperio cedere quam prodere domum Dei & à religione deficere.* Quis sanus certè dixerit, tradere basilicam hæreticis hoc esse à religione deficere? Ipse Judicii auctor fect. V. ad 9. §. 1. n. 2. *Neq; si hæretici inquit: ex aliqua urbe expelli nequeant, nihilq; præterea in præjudicium religionis tribuatur, illicitum erit, aliquod templum exercitio hæresis assignare, ubi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione sua, quam in privatis adibus, conveniant.* Addit rationem notatu

notatu dignam: *Locus enim valde extrinsece se ad peccatum habet: ideoque licere meretrici aut usurario domum locare, cum aliis tenet Sanchez t. 1. lib. 1. in decal. c. 7. n. 20.* Verum ut locus ita & bona extrinsece faciunt ad peccatum. Silicet itaque domum meretrici concedere in lupanar, tantum lucci spe, ut hi volunt doctores; si ibidem licet meretrici & usurario pecuniam commodare, etsi haud nescias illam cessuram in abusum & peccatum, quod itidem hi non negant: quidni liceat locum & bona Hæreticis concedere, vel saltem iis relinquere, præsertim si id postulet publica necessitas? Observatu autem præterea dignum est, non omnino certam fidem mereri illam Sozomeni relationem, de iis, quæ intra privatos parietes locutus fuerit Chrysostomus. Narrat sanerem eandem Theodoretus *l. V. c. 32.* sed multò aliter. Observandum quoque, habuisse illo ipso tempore Arianos basilicam extra muros Constantinopolis, Chrysostomo non improbante, multò minus damnante.

III. Hunerici Vandalorum Regis & ex adverso τὸ ὁμοῦσιον profitentium EPISCOPORUM AFRICÆ negotium quomodo huc faciat, non assequor. Num A catholici ab Episcopis nostris exigunt juramentum desciscendi à Cæsare, aut etiam non communicandi cum Pontifice Romano, facta promissione, reddituros sese ea lege omnes Ecclesias, quas abstu-

I

lerunt;

lerunt? Atqui tale quid Hunericus fecit, ceu liquet ex iis quæ narrat Victor Viticensis *l. 3. de persecutionibus Africa*, & quod ibi recitatur ipso Hunerici Regis Edicto. Quis dixerit, ejusmodi quid exigi à nostris Episcopis, aut ad simile quideos adigi vi pacis? Tale juramentum præstari ab Episcopis Africæ non solum potuisse, verum etiam debuisse, ab hesternis hodiernisque Theologis & Politicis judicari, calumnia est non ferenda viris bonis.

Ex aliis porro Patribus & doctoribus ne apicem quidem potuit Ernestus ille producere. Scio etiam, illum & ipsius similes omni opera collatâ nihil inventuros, quo improbetur ejusmodi Pax, si id Ecclesiæ Catholicæ & Reipublicæ extrema necessitas postulet.

CONTRA notum est ex historiis, ab Imperatoribus Romanis partem Africæ Vandalis, & Italiam cum ipsa urbe Roma Ostrogotthis, facta pace concessam esse; ut ut illi essent Ariani, & hæresin illam non tantum disseminarent passim, sed Catholicam Ecclesiam pessime infestarent, in Africa etiam templa & bona sacra Catholicis irent ereptum. Nemo tamen Episcoporum, nemo aliorum Catholicorum illam pacem illicitam & impiam dixit. Ne verbulum quidem reperias, in omnibus illius temporis scriptis, paci cum hæreticis tunc inita adversum. Quod indicat, omnes illius ævi viros sanctos, docto

ctos, & prudentes, talem pacem consensu suo approbasse. Non ovum autem ovo est similius, quam nostra hæc Pax paci illi cum Arianis Ostrogotthis & Wandalis pactæ. Haud dubie itaque, si reviviscent illa Ecclesiæ lumina, etiam in nostram hanc Pacem consentirent, ut legitimam & justam. Non sane illis persuasum erat, quod Ernesto & Ernestinis placet, summum bonum Catholicæ religionis in latifundiis opimis ac Principatibus consistere.

Inspicientibus præterea priorum trium seculorum Ecclesiastica scripta, non potest negari, ita tunc à Patribus plerisque disputatum esse adversum Paganos pro Christianæ fidei libertate, quasi religio simpliciter cujusvis sit liberæ voluntati & conscientiæ permittenda, neque quisquam poenæ aliquid mereatur civilis, si in religione erret. Quid clarius verbis Tertulliani ad Scapulam? *Humani juris & naturalis potestatis est, unumquemq; quod putaverit colere, nec alii prodest aut obest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debet non vi.* Aut his Lactantii? *Nihil est tam voluntarium quam religio.* Qui ita senserunt, ac existimare potuerunt, Hæreticos in civili vita haberi debere infames, non permittendam illis libertatem sua docendi, à vi non esse defendendos? Jam porro quarti seculi magna parte, nemo Patrum legitur Constantinum Magnum, aut ejus fili-

os proximosque successores cohortatus, infamia Hæreticos notare, illos à vi non defendere, multo minus illos extirpare. Imo cum ab Arianis Constantius esset seductus, Catholicos multis modis vexare & male afficere, S. Athanasius etiam illo nomine conquestus est de Arianis, quod religionis causa homines mulctarent. Videatur ejus *epistola ad solitarios*. Dignissima quoque lectu sunt, quæ S. Hilarius prolixè disserit in eandem sententiam *libro aduersus Auxentium* & *libro ad Constantium Imperatorem*. Eadem mente fuisse S. Martinum & Sulpitium Severum, clarissimum est ex hujus *hist. sacr. libr. 2. sub finem & dialogis*. Ipsum S. Augustinum aliquando ejusdem fuisse opinionis, nec eam omnem post mutasse, fatentur omnes.

Tam multorum itaque Patrum suffragium cum habeat hæreson libertas, etiam illa quæ citra extremam necessitatem conceditur, profectò male asferitur, carere omni Patrum suffragio pacem necessitate expressam. Si utilitas Ecclesiæ invitet, posse Hæreticis etiam ædem sacram Catholicorum concedi, ipse S. Athanasius utique exemplo suo nos docuit apud Sozomenum *libro 13. cap. 19.* quod ipse Auctor Judicii fatetur *sect. 5. ad 9. §. 1.* Imo & apud Socratem *l. 2. c. 23.* ac Theodoretum *l. V.*

AD

AD § II.

Pontifices Romanos, neque veteres neque recentiores, dissentire à Pace constituenda.

Nullius Papæ ex quatuor prioribus seculis, vel verbū vel factum potuit aut potest adduci, quo possit probari, illos vel docuisse, vel Imperatoribus suafisse, ut Hæreticos fama, dignitatibus, bonis exuerent multo minus ut aliqua corporali pœna afficerent. Et tamen poterat hoc ab Imperatoribus fieri, non repugnante vel Ecclesiæ vel Reipubl. necessitate. Itaque pene dixeris, illos Pontifices summos existimasse, omnes ejusmodi pœnas semper esse injustas. Quicquid sit, certe huic auctori non sunt patrocinati, quasi illam libertatem non liceat concedere postulante necessitate. Posterius utique à nemine Pontificum etiam sequentium usquam traditum est. Si est traditum, produci debuissent illorum verba.

S. JOHANNEM I Papam, quem solum ex omni Ecclesiæ veteris ævo produxit in suffragium Ernestus, id fecisse quod narrat Ernestus, non potest non videri dubium illi, qui noverit, Anastasium Bibliothecarium, imo longe illo antiquiorem scriptorem istum cui denique sua quædam novissimi temporis addidit Anastasius, in *vita Johannis, & Paulum Diaconum*, sive quis alius auctor est *historia Miscella*, hosque secutos, Aimoinum, Marianum Scotum, Si-

gebertum, Othonem Frisingensem, Gotfridum Viterbiensem, Conradum Urspergensem, Martinum Polonum, Platinam & complures alios, interque eos omni exceptione hac in re majorem Græcum Cedrenum, plane contrarium narrare: nempe, quo pax maneret Ecclesiis Catholicis per Italiam, motum Joannis precibus Justinum Imperatorem, ut libertas pristina Arianis per Orientem permaneret. Verba ipsa Pontificalis libri, quo nullum aliud de rebus Pontificum superest antiquius & magis fide dignum monumentum, hæc sunt: *Hic Joannes vocatus est à Rege Theodorico Ravennam. Quem ipse Rex rogans misit in legationem Constantinopolim, ad Justinum Imperatorem Orthodoxum. Quia eodem tempore Justinus Imperator, vir religiosus, voluit hæreticos extricare. Nam summo fervore Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arianorum Catholicas consecraret. Pro hac causâ hæreticus Rex Theodericus, audiens hoc, exarsit, & voluit totam Italiam gladio extinguere. Eodem tempore Joannes Papa egrotus infirmitate, cum fletu ambulavit, & Senatores & Exconsules cum eo, id est Theodorus Importunus Agapitus Exconsules, & alius Agapitus Patricius: qui hoc accipientes in mandatis legationum ab ipso Rege, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis: quod si non, omnem*

Ita-

Italiam gladio perderet. Qui dum ambulassent,
 cum Joanne Papa, occurrerunt B. Joanni millea-
 rio duodecimo omnis civitas, cum cereis & cruci-
 bus, in honorem beatorum Apostolorum Petri &
 Pauli. Quia veteres Græcorum hoc testificaban-
 tur, dicentes: à tempore Constantini Augusti & B.
 Sylvestri Episcopi sedis Apostolica, usque ad Justi-
 ni Augusti tempora, non meruisse partes Græcia-
 rum beati Petri Apostoli Vicarium suscepisse cum
 gloria. Tunc Justinus Augustus dans honorem
 Deo humiliavit se pronus, & adoravit beatissi-
 mum Papam Joannem. Eodem tempore beatus Jo-
 annes Papam cum Senatoribus suprascriptis, cum
 grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut
 legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui
 vero Papa, vel Senatoris, viri religiosi, omnia me-
 ruerunt: & liberata est Italia à Theodorico hereti-
 co. Paulo post scribitur: Eodem tempore rever-
 tens Joannes venerabilis Papa & Senatores cum
 gloria, dum omnia obtinuissent à Justino Augusto
 &c. Operæ fuerit pretium audire & Paulum Dia-
 conum Aquilegiensem Italiæ rerum utique satis
 peritum. Illius autem LXV Historiæ Miscellæ hæc
 sunt verba: In Orientis partibus, cum adhuc eo
 tempore per loca singula Ariana hæresis vigeret,
 Justinus sexto sui Imperii anno, orthodoxæ fidei
 studio omnimodis satagere cœpit, ut hereticorum no-
 men

men exstingueret, statuitque ut ubique eorum ecclesias Catholica religione consecraret. Quod dum in Italia Rex Theodericus Ariana lue pollutus audisset, Joannem Papam simulque cum eo Theodorum Hypatium atque Agapitum Consulares viros, atque Agapitum Patricium, Constantinopolim ad Justinum Principem misit. Mandat quoque per eos, interminans, quod nisi quantocius hereticis suas ecclesias redderet, eosque in pace degere sineret, universos Italia populos ipse gladio exstingueret. Qui pervenientes ad Augustum, cum ab eo ut dignum erat suscepti essent, magnis eum, de sua suorumque salute solliciti, fletibus postulant, ut sua legationis seriem, quanquam esset injusta, libenter exciperet, Italiæque peritura consuleret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis quod petebant concessit Arianosque sui juris reliquit. Hæc illi duo. Aliorum enim verba, quia recentiores sunt, adducere nunc forte fuerit supervacuum. Quoniam autem hoc est verum, Johannis illud Papæ factum dat magnum patrocinium Paci, qua de agimus, tantum abest ut possit huic opponi. Aliud, fateor, nescio quorum relatu acceptum, narrat Gregorius Turonensis *l. de glor. martyr. c. 40*, sed fabulæ finilius longe quam vero: utpote qui in Gallia vixerit, rerum Italiæ minus gnarus, & quibusvis gerris credere sine delectu & exacto iudicio sit solitus.

Quæ

Quæ illius Johannis Papæ nomine fertur epistola, cujus fide vult videri niti Ernestus, illam suspectam merito habendam, ceu suppositiam, ne Cardinalis Baronius quidem negat, quin ipsemet falsitatem subscriptionis coarguit. Prodiit scilicet ex taberna Isidori Mercatoris: quam nemo sapiens hodie vel Romæ non explodit. Possent autem haud difficulter adferri complura alia, quæ eadem doceant (non enim illa epistola vel cum Gregorii fabulis consentit) si res & tempus id concederent.

Nec vero est quod quem moveat Ernesti ratiocinatio, contra fidem Anastasii, Pauli, & aliorum prolata, quæ habetur *sect. V ad IX § 1*, etsi pridem illa fuerit usus etiam forte Baronius; quod *Theodoricus Joannem carcere & morte non multasset, si Arianis ecclesiis, uti injunxerat, impetrasset*. Causam scilicet veram illius carceris dudum indicavit ipse Paulus, scribens: *Theodoricus malitia commotus, quod eum Justinus catholicae pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit*. Beda item *l. de sex etat.* ut ad recentiores alios haud sit necessum provocare. Verum hoc prolixè agere non est nostræ operæ. Sufficit jam nobis ostendisse, non debere opponi Pacis negotio Johannis I exemplum, cum saltim dubiæ & incertæ sit fidei: quemadmodum neque nos, secuti Anastasium & Paulum Diaconum aliosque quam

multos, S. Johannis exemplo pacem propugnabimus.

PAPARUM superioris & nostri ævi dissensum minus recte objici, jam tum evicimus hypothefi XIV, ut & Conclufione XIV & XV. Ne illi quidem mirum unquam dixerunt, non licere talem pacem concedere, fi id fumma postulet Ecclefiaë neceffitas, fed eorum nonnulli tantum ab aliis inducti credidère, nullam fuiſſe neceffitatem quæ id exigeret. Jam verò & Proteftationes, fi quæ factæ, non eodem modo ſunt factæ, ut ſolent fieri deteftationes impiarum ſententiarum: cujuſmodi eſſe eam, quæ ſtatuit Pacem poſſe perpetuam dari hæreticis, hic Auctor vult. Proteftationes ſane ejuſmodi coram Notario & teſtibus ſapiffime fieri ſolent, tantum eum in finem, ut ſi fortassis civiliter quid commiſſum ſit in negotio, aliquando detur regressus ad recuperanda jura, non quod omnino putes citra dubitationem, peccatum aliquod morale eſſe perpetratum.

AD § III.

*Cæsares Reges & Catholicos Status pene omnes
ab Ernestinis placitis plurimum
fuiſſe alienos.*

Illam fuiſſe conditionem & fortunam, Honorio Cæsare, Catholicæ Ecclefiaë per Africam, quæ hodie ejuſdem eſt per Germaniam, ullo vel minimo
indi-

indicio potest ostendi. Itaque exemplum illud est inconueniens. Constat præterea, lege animadvertisse in Donatistas Honorium, non hæresis ergo (nec enim illi à Catholicis dissidebant hæretica doctrina, solo autem improbo & iniquissimo schismate) sed quod illorum furor, ut Possidius loquitur c. 13. occuparet Africam, nec predicari à Catholicis veritatem contra suum errorem paterentur: violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, caedibus multa vastarent, cuncta terrent. Et vero idem ille Honorius Arianis libertatem cultus sui passim terrarum eopse tempore concessit. Opponimus porro (etsi ille hac parte fortasse peccaverit, quod tamen factum non est) uni Honorio omnes Imperatores: *primum* eos qui Hæreticos tolerarunt non minus atque alios subditos suos, etiam extra casum necessitatis: *secundo* illos qui cum Gothis & Vandalis Arianis atque Ecclesiæ Catholicæ persecutoribus pacem inierunt, concessis in eorum potestatem amplissimis Romani Imperii provinciis. Et vero notandum, Theodosii II felicitatem moderationi illius circa partes religione dissidentes acceptam referri à Socrate l. 7. c. 41.

Quam facile autem dictum est ab Auctore *sect. 5. ad IX § 2*, eos qui libertatem religionis permiserunt, *incautis consiliis impulsos*, tam facile alius id

negaverit. Quod vero ibidem ab illo additur, neminem Cæsarum Hæreticis pacem perpetuam dedisse, repugnat omnibus historiis illius ævi, quæ memorant firmam pacem pactam esse cum Gothis & Vandalis. Cœterum quo temporum illorum veterum Romani Imperii circa ejus tempestatis hærefes, instituta à Pacis nostræ negotio non aliena esse, liquido magis appareat, adferam hoc loco pauca quædam, ex iis quæ de Edicti Nannetensis in Gallia anno 1599 facta promulgatione narravit Thuanus l. 122. *petita. Cum perorasset Coquelejus, ad singula Edicti capita dicta sunt singulorum sententia. Cumque de sectariis ad dignitates admittendis difficultas invidiose à multis nihilominus reponeretur, & exemplo in antiquitate carere diceretur quod in edicto in Protestantium gratiam ea de re constitutum erat; ab aliis quietiora consilia amplectentibus contra disputatum fuit. In hujusmodi causis multa tranquillitati publicæ semper a prudentioribus fuisse condonata. Nam cum Manichei, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerant, Theodosii & Valentiniani Cæsarum constitutione civitatibus pellendi, & ultimo supplicio tradendi essent; alii autem hæretici prohiberentur magistratum gerere, & habere dignitates, aut fieri causarum patroni vel defensores aut patres civitatum; & Justinianus e-*
tiam

etiam sanxisset, neminem errore hæreticorum constrictum hereditatem vel legatum sive fidei commissum accipere, idque ad ultimas militum, sive communi jure sive militari testarentur, voluntates porrexisset; severitati tot legum exemptos fuisse Gothos, quæquam Ariana peste essent infecti, quippe fœderatos, sicut & eos vocat Olympiodorus. Qui prout Imperatoris Majestati visum fuerit, quoslibet honores & dignitates ad ea consequuntur. Id ex constitutione Græca, ad Titulum Codicis de Hæreticis & Manichæis & Samaritanis, ab Antonio Augustino, viro optimo & doctissimo Jurisconsulto, addita constare, & amplius historia certitudine confirmari. Historia autem illa ipsa est quam fide Anastasii, Pauli Diaconi & aliorum jam ante recitavimus, cum ageremus de Joanne primo id nominis Papa.

De SIGISMUNDO & successoribus Bohemiarum regibus plane contrarium est verissimum. Quod de Sigismundo colligere est ex historia Bohemica ipsiusmet Aeneæ Sylvii cap. 52. Imo & Bzovii quem testem laudat Ernestus. Videantur sola illa quæ narrat Bzovius ad A. C. 1436. n. 31. 42. 43. 44. 45. cum primis. n. 49. Sed & testibus non est opus, cum in medio sint superstites Sigismundi tabulæ, de libertate religionis Bohemis concessa, quas Majestaticas appellant.

CAROLUS V Cæsar in iis literis, quas Auctor ipse testes adducit, non dicit, nec dixit: propositum aliquid iri Augustæ *quod ipse non possit probare*, sine quidem læsione conscientiæ, sed potius forte non sine aliqua jactura aut detrimento suæ dignitatis & famæ, quam rebus gestis sibi acquisiverat, maximam. Neque enim alias Ferdinando fratri, quem ipsemet ait *pro Christiano rege se semper habuisse & habere*, plenam componendæ pacis facultatem tribuisset, revocato atq; irrito reddito Procuratorio illo, quod concesserat Cardinali Truchsesio ejusque socio Jurisconsulto, quos nempe jam noverat æquas Pacis condiciones non admissuros: quod post eventus confirmavit. Quod si sane iniquam judicasset Carolus Pacem Augustæ compositam, debuisset (prout potuit) disensum suum publice postea indicare, non autem tacendo in eam consentire. Quod quia non fecit, non potest non censi approbasse.

Esto vero, fluctuaverit tandem non nihil Carolus in sententia. Carolo opponimus FERDINANDUM fratrem, pietate certe Carolo nihilo inferiorem, & ejus omnes successores religiosissimos Cæsares. Ad quos jam tum supra provocavimus hypothese XIV & Conclusionem XVI. Cogit indignitas narrationum Ernesti, hoc loco adducere memorabile aliquid de FERDINANDO Imperatore testimonium,
homi-

PROTESTANTIBUS DANDA. 79

hominis sectarii quidem, magnæ tamen in aula & Ferdinandi & Maximiliani secundi & Rudolphi secundi Imperatorum existimationis, non ob Medicæ duntaxat artis insignem peritiam atque usum, sed prudentiam quoque & fidem, Joannis scilicet Cratonis. Idque quoniam publice & quasi coram Imperatore Rudolpho ipso est prolatum, illâ epistolâ qua Jani Dubravii Episcopi Olmucensis Historiam Bohemicam, sua cura editam, Imperatori Rudolpho dedicavit. *Illud, ait, reticere non debeo, quod Divus Ferdinandus Imperator crebris sermonibus ante obitum usurparit: Inter summa beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperii concessisset, primum atque maximum vero animi iudicio optimaque conscientia hoc se ducere, quod ad sedandas discordias publicas animum adiecisset, & tolerantia in Religione formulam benignissimam Deus sibi in mentem dedisset. Est in vivis Joannes Nevius, qui à Serenissimo Archiduce Ferdinando nobis in valetudinis Cesarea curatione additus erat. Eo presente mihi legendam dedit, atque, ut apertis verbis legerem, iussit, epistolam bene longam suâ manu ad Electorem Mauritium multis verbis & accuratissime, de pace publica, conscientiarum, libertate, & reipublicæ salute, scriptam. Hanc si censors quidam viderent, haud dubie animadverterent, quam insigni quidem, non modo Italus*
quidam

quidem & Gallus, verum etiam nostri homines de una religione clamitantes, Divum Ferdinandum, sacratissimæ memoriæ Imperatorem, injuriâ afficiant.

STATUS CATHOLICI anno 1544 improbabant pacem, quod non viderent necessitate eam exposci: illa perspecta, mutarunt sententiam in melius, magno Germaniæ bono.

OTTONIS & HENRICI Augustanorum Episcoporum auctoritati opponimus omne quod reliquum est Germaniæ Archiepiscoporum & Episcoporum; qui profecto illis Augustanis non pietate, non Catholicæ fidei amore, quidquam cesserunt, prudentia longe fuerunt superiores.

Si non desunt denique in aliis rebus publicis exempla Regum aut Statuum pacem perpetuam damnantium, quæ de re non est quod cum Ernesto contendamus, non desunt in iisdem exempla illam laudantium. Nannetense Edictum pro libertate Religionis in Hugonottorum gratiam ad perpetuitatem esse conditum, miror equidem, quæ fronte ausus fuerit negare Ernestus. Pridem ante, jam scilicet anno 70 superioris sæculi, Carolus IX Rex diserte voluit illud quod tunc condiderat edictum, inter leges Regni recipi, atque inviolabiliter observari, donec per Dei gratiam animi in unam religionem tandem conspirarint: plane quemadmodum

PROTESTANTIBUS DANDA.

81

modum in Germanica cojit Pax Augustana. Carolum secutus Henricus III sua de Religionis pace edicta singula (edidit autem aliquot) itidem appellaverat jam, *perpetua & irrevocabilia*. De Nannetensis item Edicti perpetua obligatione non potest dubitari, lectis quæ Thuanus memorat l. 112. eâ de re & venisse in deliberationem & esse constituta. Sed & Ludovicus IV Rex cum alias tum in Edicto anno 1616 edito diserte illud Nannetense vocavit *edict perpetuel & irrevocable*.

De pacis religiosæ in HUNGARIA nexu item perpetuo non semel composito, complura in promptu sunt: sed nolo iis nunc immorari. Quo tempore sanè Clerus ibi protestatus est, longe fuit ibi melior quam hodie est Germaniæ status.

Ut ut vero neque ibi neque in Gallia concessa fuerit ulla perpetuitas, inde tamen haud licet colligere, ubivis talem pacem perpetuam improbatam. Utique enim jam novissime, ut infinita exempla alia taceam, perpetuam pacem similem cum foederatis Belgicogermanicis septem provinciis pactus est Rex Catholicus Hispaniarum. Quod exemplum cum sit omni exceptione majus, etiam nos uno isthoc nunc erimus contenti? etsi plura jam tum nominatim adduxerimus hypothesi XIV & Conclusionè XVI.

L

EPI.